



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 188. Quomodo rescindi possit venditio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

dicat ex gravibus causis posse id excusari, raro tam  
men prævalebunt gravissimis incommodis, quæ  
enumerat Az. q. 3. sed Haun. t. 10. n. 110. dicit  
non esse operæ pretium plura dicere circa hoc,  
quia quidquid dixeris, consuetudo prævalebit;  
curandum tamen est, inquit, ut serventur, quæ  
jure naturæ servanda sunt, nempe ut venditio-  
nes moderato pretio fiant, & talibus personis,  
quæ creduntur officio bene functuræ.

992 Q. 187. Quænam pacta adjici soleant venditioni.  
R. sequentia: 1. Commissorium, ut si intra certum  
tempus non solvatur pretium, res censeatur non  
empta, sicque emptor dicitur cadere in commis-  
sum. 2. Adjectionis in diem, ut si intra certum tem-  
pus aliquis alius plus obtulerit, res censeatur non  
empta, sed vendi possit alteri. 3. Retrovendendi;  
sed necessarium est, in primis ut absit contractus  
*Mohatra*, de quo dictū à n. 902.; deinde ut ser-  
tur æqualitas, uti pluribus *Mol.* d. 375. *Leff.* l. 1. c.  
21. d. 14. *Lugo* d. 26. à n. 183. *Spor.* t. 6. c. 5. n. 101.

993 Q. 188. Quomodo rescindi possit venditio. R. 1. Mu-  
tuo consensu; nec emptor tunc tenetur restitu-  
re fructus, quia stante contractu cesserunt illi tan-  
quam domino. 2. Si adfuerit pactum commis-  
sorium vel adictionis in diem, uti n. 992. dictum;  
& tum fructus compensari debent venditori. 3.  
Per actionem redhibitoriam, vel quanti mino-  
ris, de qua n. 715. 4. Propter læsionem ultra di-  
midium, uti habet communior contra *Leff.* rela-  
tum n. 624. Duratque hæc actio usque ad 30. an-  
nos. Quod si inculpabiliter facta sit talis læsio, po-  
test lædens manere in contractu, supplendo de-  
fectum, nec tenetur compensare fructus interea  
perceptos: hoc autem jus rescindendi quando-  
que competit læso etiam contra tertium, cui res  
alie-

alienata est. 5. Per restitutionem in integrum, de  
qua n. 677. dictum. V. *fls. t. 4. d. 2. à n. 414.*

*Q. 189. Quid sit retractus, & quomodo liceat eum 994  
impedire.* R. Retractus, est jus, quod habet, v.g. pro-  
ximior consanguineus, ad rescindendam vendi-  
tionem rei immobilis, oblato pretio, quo ab ex-  
traneo vel remotiore consanguineo emebatur:  
fit autem communiter intra annum & diem; &  
retrahens, sibi tantum potest redimere, non alte-  
ri, *Castr. p. 5. p. 29.*, quem vide. Potestque retrahens  
emptorem in dubio cogere ad jurandum,  
quanti emerit, uti docent *Tiraq: Reinkinck & alii.*  
*Quomodo autem liceat impedire retractum, do-*  
*cebit casus sequens.* Titius emit domum à Cajo 995  
& solvit 300:, sed timens ne domus retrahatur à  
consanguineis, ut hos deterreat, cum consensu  
Caji scribit in instrumento se daturum 500: *Quæ-*  
*ritur, an licet: Respondet Less. in auct. V. Contractus*  
*cas. 7. hic committi dolum*, qui in jure dicitur  
*Stellionatus;* addit tamen ex neutra parte esse cul-  
pam gravem, nam si quis emens ulnam panni 14:  
florenis simulet se dare 20:, aut si merces vitupe-  
ret, ut sic deterreat alios, & solus emat, per hoc  
non facit injuriam aliis emptoribus, tum quia  
nō inducit ipsos, ut pluris emant, tum quia quan-  
do agitur de notabili commodo proprio, nemo  
tenetur alteri veritatem aperire, quâ cognitâ  
commodum impediretur. Addit Cas. 9., licet Ti-  
tius mentiretur, mendacium esse merè officiosū.  
Concludit, etiam sic eludi posse retractum, si con-  
veniat inter contrahentes, ut domus ematur 500,  
sed simul se obliget vendor ad 200., post con-  
tractum condonandos. Verùm, in primis certum  
est, si alter habens jus retrahendi refudisset Titio  
500:, teneri Titium hos 200: restituere, quia nul-